





DE
EVSEBIANIS
PRAEFATVS

ORATIONES
VALEDICTORIAS

CAL. MART.

A. R. S.

MDCCLIII.

PVBLICE HABENDAS

INDICIT

M. IO. GOTTL. BIDERMANN

RECT. GYMN. FREIB.

FREIBERGAE,

Litteris MATTHAEANIS.

LVIII.



Angliam non solum praestantissimorum ingeniorum, sed etiam portentosissimarum sententiarum semper fuisse feracem, et ciuilium et sacrarum rerum annales aperte testantur. Inprimis autem ciuitatem Dei in ea regione duplicis generis hostes, Naturalistae atque Antitrinitarii conuellunt: quorum illi nullam omnino religionem admittunt, nisi ex humanae rationis fontibus hauriam, et ad decempedam illius profus adcommodatam; hi vero aeternam optimi nostri Saluatoris deitatem collabefactantes, uniuersum Sacrosanctae Trinitatis mysterium perstricta fronte subuertunt. Et quo quidem facilius calumniam, in istis nominibus sectariis haerentem, subterfugiant, speciosiora et sanctiora substituerunt, pro Naturalistis *Deistarum*, pro Antitrinitariis autem vel Arianis *Eusebianorum* adpellationem praeoptantes. Haec quum nuper à Viro maxime Venerabili A. G. MASCHIO obseruata legerem, a) adeo hoc argumentum arridebat, ut me operae pretium facturum existimarem, si ea, quae de Eusebianis, qui vix *μορφοσαν ευσεβειους* habent, b) cerussato nomine pestilentissimum virus tegentes, notatu digna videntur, hac scriptioe complecterer.

EVSEBIANI nomen, si cl. MASCHIVM audiamus, ab Eusebio, Caesariensi episcopo, qui Pamphili cognomine inclaruit, traxerunt. Ita enim ille, *Eusebianos*, inquit, *se suosque adpellat Whistonius, nomine non ab Eusebio Nicomediensi, sed ab Eusebio Caesariensi deducto*. Ego autem vereor, ut Vir Clarissimus idoneis testimoniis ea sit confirmaturus, quae his verbis adfirmavit. Qui enim monumenta rerum in ecclesia gestarum litteris consignarunt, uno ore consentitur, Eusebianos et nomen et originem ad Eusebium, Nicomediae episcopum, qui saeculum à Christo nato quartum viuendo attingit, referre. Non equidem nescio, fuisse, qui etiam Eusebio Caesariensi labem Arianismi adspargere voluerunt, et inprimis duos summi nominis viros, IO CLERICVM et GVIL. CAVEVM hoc super argumento multa cum industria disputasse: quorum ille Eusebium Caesariensem animo ad Arianam haeresin propensissimo fuisse, statuebat, c) hic autem suspecta eundem fide liberare omni studio nitebatur: d) de qua quaestione singularis *Photii* libellus, qui prostat, nuper demum à BERNH. MONTFAVCON publici iuris factus, itemque Epistola ELIAE DE AMATO f) et ea, quae I. G. DE CHAVFEPHIE tradit, g) legi merentur. Quemadmodum vero haec obtractatio Hieronymo originem debet, qui Eusebium Caesariensem primus sectae Arianae signiferum et haeticum adpellauit: ita viri ab omni partium studio alieni iamdudum obseruarunt, Hieronymum adfectibus abreptum ita sensisse, quod ea in opinione versaretur, Eusebium libros Apologeticos pro Origene contextuisse, h)

Dici

- a) in Nov. Biblioth. Lubec. (1753.) Vol. II. p. 72. b) 2. Tim. III, 5. c) Bibliotheqv. Vnivers. T. X. p. 379 sqq. d) Histor. litterar. scriptor. ecclesiast. Append. e) Paris. MDCCXV. f) Lettera che Eusebio di Cesarea, anco dopo il concilio Niceno fu imbruttato dall' errore Ariano, etc. (*Genoua* MDCCXV.) P. II. p. 291. g) Nouveau Dictionnaire historique et critique. T. II. Litt. E. p. 67. sqq. h) Io. Hulfemanni Patrologiae Cap. IV. p. 1013. et Sam. Basnage Annal. T. II. p. 734.

Dici enim vix potest, quam mirifica consensione viri, veritatis studio seruentes, in laudando et commendando Eusebio Caesariensi conspirent. Quorum ex numero IO. ALB. FABRICIVM audiamus, in hoc genere studiorum versatissimum. Ita vero ille: *prosteor*, inquit, i) *me assentiri viris doctis, qui varia quidem agnoscunt in Eusebii libris esse, de dogmatibus quibusdam, quae durius et parum commode dicta videntur: tamen mysterium S. S. Triados, et $\sigma\upsilon\upsilon\alpha\iota\delta\iota\omega\nu$ Filium ex Patris essentia Deum de Deo genitum, $\alpha\upsilon\tau\omicron\upsilon$ Deo agnouisse, atque ab haeresi propria Arii adeo fuisse alienum, adfirmo.* Haec suo suffragio comprobatur P. ZORNIVS, annalium sacrorum scrutator diligentissimus et interpres felicissimus, his momentis Eusebii causam perorans: k) *Eusebius Caesariensis princeps quidem et signifer Arianac factionis Hieronymo dicitur, at falso. Neque enim parum ad rem facit, quod in Synodo Nicaena expressis verbis Ariana dogmata damnauit, eiusque Symbolo non temere sed examine accurate instituto et pia mente subscripsit.* Quibus ex recentissimis scriptoribus iungimus NATH. LARDNERVM, ecclesiasten in Anglia celeberrimum, et defensorem verae fidei accerrimum, qui copiosis et grauibus argumentis euincit, Eusebio Caesariensi perperam et iniuriose Arianismi calumniam adfricari. l)

Quanta igitur innocentia nomen Eusebii Caesariensis enitescit, tantis erroribus Eusebius Nicomediensis sese obstrinxit, à quo *Eusebianorum* nomen recte deriuatur. Quumvis enim Caesariensis frater esset, fide tamen et religione longissime ab eo alienus erat, quippe *qui*, ut LVC. OSIANDRI verbis utamur, m) *ceteros nebulones Arianos astutia et malitia longe superabat.* Namque ab ineunte aetate non solum singulari familiaritate cum Ario coniunctus fuerat, eodem cum ipso usus magistro Luciano, sed istius etiam mores atque indolem expressissimam referebat, et, EPIPHANIO teste, n) *$\omega\varsigma$ $\delta\sigma\lambda\iota\omicron\varsigma$ $\delta\phi\iota\varsigma$, $\upsilon\pi\omicron\kappa\lambda\epsilon\psi\omicron\iota$ $\delta\upsilon\upsilon\alpha\mu\epsilon\nu\omicron\varsigma$, $\pi\alpha\tau\epsilon\alpha\upsilon$ $\acute{\alpha}\nu\alpha\kappa\omicron\nu$ $\kappa\alpha\rho\delta\iota\alpha\nu$ $\delta\iota\alpha$ $\pi\alpha\nu\epsilon\rho\gamma\epsilon$ $\pi\rho\sigma\chi\eta\mu\alpha\tau\omicron\varsigma$, h. e. tanquam astutus serpens, imponere valebat omni ingenuo animo, per vafritiem, quamprae se ferebat.* Et initio quidem praesulatum Beryti in Syria tenebat, mox autem, auaritia atque ambitione impulsus, ea relicta dignitate, episcopatum Nicomediensem inuadebat. Denique anno CCCXXXVIII. locum antistitis Constantinopolitani occupabat, postquam Paulum episcopum sede sua deiecerat, et anno tandem CCCXXXII. vita defungebatur. Quo vero illustriori loco erat positus, eo periculosiores erant turbae, quas, Arianis partibus fauens, excitabat, censurae ecclesiasticae semel atque iterum subiiciendis. Iam enim, ipsius Imperatoris Constantini mandato, exilio multabatur. Iam ab episcopis orthodoxis grauissimorum errorum arguebatur. Iam inconstantiae et malitiae adculpabatur, quod quidem concilio Nicaeno subscripsisset, cui tamen post duos menses interiectos publice contradicebat. Quo facto, librum respicientiae conscribebat, verbis veteratoris, ambiguus et lubricus conceptum, in quo erroneas sententias palam

i) Biblioth. Graec. L. V. P. II. p. 32.

k) Opusc. Sacr. T. I p. 195.

l) in The Credibility

of the Gospel History (Lond. 1750.) h. e. Glaubwürdigkeit der Evangelischen Geschichte.

P. II, Vol. VIII, p. 62.

m) Epitom. Hist. Eccl. Cent. III, p. 95.

n) Haeres. LXIX.

lām retractabat, eoque Imperatori atque episcopis exhibito, efficiebat, ut dignitati apud Nicomedienses redderetur, inprimis commendatione et deprecatione sororis Imperatoris adiutus, quae diuinitus sibi reuelatum esse, quod indigna Eusebius pateretur, affirmabat. Tantum autem aberat, ut restitutus animum mutaret, ut potius in peius ruere videretur. Namque gratia atque auctoritate, qua apud Imperatorem et proceres plurimum valebat, pessime abusus, nouarum subinde factionum dux atque auctor, id agebat, ut, quantum calumniando Athanasium, purioris doctrinae acerrimum vindicem, obtretebat, tantum Arianis partibus patrocineretur, *homo omnium bipedum nequissimus*, uti OSIANDER eum adpellat. o)

Talis igitur quum choragus huius sectae esset, facile est suspicatu, quales fuerint adseclae, qui et nomen eius adsciuerant, et errores disseminabant. Et nomen quidem *Eusebianorum* eo lubentius sibi imponi patiebantur, quo sanctius, innocens, et ad imponendum imperitis adcommodatus illud videbatur. Quod enim Theseus ille apud SENECAM Tragicum sentit, canens: p)

*quam vita fallax abditos sensus geris!
animisque pulcram turpibus faciem induis:
pudor impudentem celat, audacem quiet,
pietas nefandum, vera fallaces probant;*

id haud immerito in Eusebianos conuenire videtur. Non tantum enim rem publicam sacram infestare vel perturbare velle, non videbantur, sed potius studium veritatis propugnandum et disciplinam emendandam prae se ferebant. Ita BARONIVS eos depingit, q) docens, *Eusebianos, quoad Constantinus vixit, Nicaenae fidei, cui semel subscripserant, professores forinsecus prae se tulisse, et, si quod catholicis bellum intulerunt, nequaquam ut Arianos, sed potius ut bonorum morum vindices et ecclesiasticae doctrinae custodes se praestitisse.* Vbi vero pellem vulpinam, qua sese palliabant, remouemus, rapacissimos lupos sub ea delitescentes reperimus. Siue enim errores, quos fovebant, examinemus, siue facta eorum perquiramus, detestabili foeditate venerabile et religionis plenum nomen *Eusebianorum* conspurcatum fuisse, videmus.

Et quam grauitur quidem in sanctiorem doctrinam impeerint, testimoniis idoneis eorum auctorum iam confirmabimus, qui eam aetatem viuendo attigerunt. His verbis SOLOMENVUS errorem eorum complectitur: r) *Eusebiani publice docuerunt, non debere de Filio sentiri, quod Patri cessentialis existat.* Pluribus ATHANASIVS eorum mentem declarat: s) *Quum Eusebiani consisterent, Christum Filium esse, non admittunt, naturale ipsum esse verbum, sed ratione tantummodo virtutisque intelligendi Filium adpellari, censent.* Alio loco hanc eorum dilputationem adfert:

o) l. c. p. 96.

p) in Hippol. Act. III. Sc. 3.

q) Annal. Eccl. T. III. p. 451.

r) Hist.

Eccl. L. II. c. 21.

s) Orat. V. contra Arianos.

fert: t) Atunt Eusebiani: si omnia Filio tradita sunt, fuit omnino, quando non habebat haec omnia. Si autem non habebat, non est ex Patre. Si enim ex Patre fuisset, habuisset haec omnia, utpote qui ex ipso Patre esset, minime indignus, ut illa acciperet. Et alibi idem eos docuisse adfirmat, u) ideo Christum praerogatiuas praet aliis habere, Deique Filium atque Vnigenitum adpellari, quod ipse solus sit particeps Patris, cetera vero de ipso participant. Ex quibus intelligimus, tanto grauiores et pestilenciores Eusebianorum errores fuisse, quanto sanctius illud fidei nostrae est caput, in quod impeerunt. Et quis non exhorrescit abominanda illa deliramenta, in diuinitate IESV CHRISTI maxime iniuria, quibus correpti, NICEPHORO teste, w) statuerunt, non semper Dei Verbum fuisse, sed ex non existentibus factum esse: fuisse tempus, quo illud non erat, siquidem creatura sit Filius: Filium Patri substantia non esse aequalem neque verum et naturale verbum Patris esse, sed peregrinum, segregatum, et alienum Verbum esse substantiam Patris: abusive Verbum et Sapientiam factum esse Christum, etc. etc. Quis vero, haec legens, non intelligit, id Eusebianos inprimis egisse, ut Arii impios et blasphemos errores inculcarent, neque iniuria eos in Arianorum numerum referri? Hac mente Alexander, Alexandriae episcopus, eam rerum faciem animo complexus, in litteris ad verbi diuini praecones super hoc argumento datis, quas CENTVRIATORES MAGDEBURGENSES seruauerunt, x) id egisse Eusebianos, adfirmat, ut veritatem mendacio et pietatem impietate miscerent et corrumperent. Quis enim, addit, unquam talia percepit? aut quis, nunc demum audiens, non tanquam rem insolentem stupet, auresque obturat, ne sordibus horum errorum ipse polluat auditus?

Quam tetrus autem erroribus Eusebiani nomini suo turpitudinis maculam inusserunt, tam impiis factis omnem honestatis famam decoxerunt. Auspicio enim Eusebii Nicomedienfis, qui in gratiam Imperatoris mirifice sese insinuauerat, non nisi ii ad magistratus gerendos euehebantur, qui Arianorum causam et partes tuebantur. Ipse summus cubiculi Imperatorii praefectus, nec nomine nec animo ab iis alieno erat; et quia Imperatori adfiduus aderat, socios suos omni loco omnique tempore diligentissime commendabat. Quo fiebat, ut abominanda malorum illuuijs sanctiorem coetum nefarie foedaret, Constantino autem mortuo, Eusebius cum adfoclis omnes nervos intenderet, ut ab uniuersa ecclesia doctrina Ariana reciperetur. Acerba et luctuosa illius temporis fata melius deplorantur, quam describuntur. Quid enim spei reliquum pijs verae fidei confessoribus videbatur, tranquillitate publica per tumultuum et discordiarum proccllas misere conuulsa, Imperatore autem, qui succedebat, Constantio, eiusque coniuge, Eusebia, et uniuersa aula in Eusebianorum partes pertractis? Vnum testem, instar multorum audiamus, nempe GREGORIVM NAZIANZENVM, his verbis adflictam ecclesiae conditionem delineantem: y) rursus malum recrudescit, atque instar subputridi maleque obducti vulneris aperitur, grauesque lupi, alii aliunde nos intercipientes, ecclesiam discerpunt. Arman- tur sacerdotes aduersus sacerdotes; plebs aduersus plebem furibundo impetu fertur, Im-
perator

t) Orat. de di&no: Omnia tradita mihi sunt.

w) Hist. Eccl. L. VIII. c. 8.

x) Centur. IIII. p. 619. sqq.

u) in Decret. Synod. Nic.

y) Orat. in laud. Heronis,

perator ipse plenam impietati libertatem potestatemque concedit, atque aduersus orthodoxam doctrinam leges instituit, eorum autem summa est auctoritas, qui nec virorum nec mulierum numero sunt censendi: muliebres enim homines, et inter viros virorum nomine indigni, sexuque dubii, impietate autem certi et perspicui, summis dignitatibus praeficiuntur. Eandem fere querelam in Synodo Alexandrina repetitam fuisse, pii confessores docent, qui haec litteris mandarunt: z) admiramur eorum malitiam, et insanabilem in insidiis fruendis peruicaciam. Ecce enim, nulla sumta quiete, Imperatoris aures contra nos irritant, neque usquam cessant, parricidiales litteras scribere, quo Athanasium, ipsorum haeresi aduersum, facilius e medio tollant, siquidem contra eum accusationes Imperatoribus porrexerunt, iteratis calumniis homicidia ei obicientes, quae nunquam facta sunt. Eundem coniurationibus opprimere student, et in exilium protrudere, homines scilicet mansueti et moribus aequi, (Eusebiani,) vel quod verius est, improbi et perquam acerbi, qui terroribus et minis potius, quam pietate et aequitate ad poenas deproperant, etc. Inprimis autem Alexandriae Eusebiani tam immaniter debacchabantur, ut cum religione omnem omnino humanitatem exuisset viderentur, strictos gladios in virgines et fratres intentantes, flagella incutientes, pedes fustigantes, et omnis generis flagitia admittentes. Praeterea, ut virus errorum pestilentissimum eo felicius disseminarent, litteras fictas et commentitias, orthodoxorum nomen mentientes, ad episcopos orientales mittebant, in quibus scriptum erat, occidentales Arianorum partibus accessisse. Quae ubi OSIANDER commemorat, a) hoc iudicium subnequit: *Tanta est vis spiritus mendacis in haereticis, qui semel fines verecundiae transferunt.*

Ex unguibus igitur leonem, et ex iis, quae adtulimus, Eusebianos cognoscere poterimus. Et quamuis Imperatores, qui sequentibus saeculis rempublicam administrarunt, tam synodis indictis, quam grauissimis mandatis, serpenti huic malo sese opponerent, viri autem doctrinae puriori addicti omnem operam in compefcendis his furoribus collocarent; ita tamen virus illud perniciosum reprimi non potuit, quin, actis profunde radicibus, latius reperet, et ex Asia etiam in Europam transfret. Quid enim aliud sunt Vnitarii in Polonia et Belgio versantes, et Antitrinitarii, Angliam usque ad hunc diem infestantes, quam furculi veterum istorum Arianorum? Et illi quidem Arii, Photini et Socini errores, quos euouerunt, resorbentes, solum Patrem pro vero Deo, Filium pro nudo homine, et Spiritum S. pro virtute diuina habent, de quibus post alios I. A. SCHERZERS b) et ANDR. LVB'NIECIUS c) copiose exponunt. In Anglia autem hoc ipso, quod nunc agimus, saeculo, GVIL. WHISTON, Professor academiae Cantabrigienfis, in libris publicae luci expositis, profiteri non erubuit, *uniuersam ecclesiam primitiuam eamque orthodoxam, omnino Arianam fuisse.* d) Et ea de causa non solum suator atque auctor erat, ut dogmata Arianorum postliminio reciperentur, verum etiam disertis verbis, Filium Dei Patre esse inferiorem, quo Pater in creando mundo tanquam instrumento

usus

z) Centur. Magdeb. Cent. IIII p. 770.

a) l. c. p. 289.

b) System. Def. p. 64.

c) Hist. Reform. Pol. L. III. p. 214. sqq.

d) conf. AG. Erud. MDCCXI. Supplem.

T. IV. p. 396.

ufus eſſet, perſonas diuinitatis realiter diſtinctas, neque unam eſſentiam ſingulis eſſe communem. e) docebat, hiſque errorum portentis commerebat, ut anno MDCCX, prouincia publica deiiceretur, à viris autem eruditiffimis P. ALLIXIO, IO. ERN. GRABIO, IO. EDWARDO, SAM. HILLIO, IO. HANKIO, ROB. TVRNERO, et imprimis IO. FR. WVCHERERO ſolide refutaretur, f) Whiſtonum errando ſequebatur SAM. CLARCKIUS, prædicator aulae Londinenſis celeberrimus, qui libris ſuper hoc argumento in lucem editis non ſolum nouas in eccleſia turbas excitabat, ſed etiam anno MDCCXIV. dignitatibus exutus, ſententias in diuinitatem Ieſu Chriſti iniurias publice retractare cogebatur. Ne quid de ceteris, eiufdem criminis reus, THOMA EMLYNIO, TH. CHVBGIO, et TH. MORGANIO addam; ex iam dictis, opinor, adparebit, quantas turbas Arianae hæreſeos ſectatores in coetu puriori excitauerint, ſpecioſo EVSEBIANORVM nomine nefariam impietatem occultantes.

Nos vero, hæc legentes et meditantes, HORATIVVM aurem vellicantem nobis audire videmur: g)

Tu recte viues, ſi curas eſſe, quod audis.

O! quam felix res publica foret, ſi ciues omnes ac ſinguli viros nominis ſui ſeſe præſtarent! ſi *Theophili* Numen diuinum amore non fucato proſequerentur, ſi *Chriſtiani* vitam agerent Chriſto dignam, ſi *Iohannes* gratia apud Deum et homines valerent, ſi *Auguſti* in augendo verae gloriae ſplendore ſedulo elaborarent, ſi *Benedicti* a prauis moribus abhorrerent, ſi *Erneſti* omni contentione in vera felicitate comparanda eniterentur, ſi *Friderici* pacis ſtudio ſeruirent, ſi *Hieronymi* ad nominis religionem debitam vitæ ſanctitatem adſerrent. Neque minori in dignitate ſcholæ publicæ forent, ſi et docentes et diſcentes ſemper veros *Eufebianos* referrent. Hanc ob cauſam legum ſcholæſticarum conditores hanc primam eſſe voluerunt: Pietas ſuprema lex eſto. Dici enim non poteſt, quanta præſtantia vera *euſebeia* ſeſe commendet: quippe quam PAVLLVS προς παντα ωφελιμον, h. e. ad omnia utilem, h) GREGORIVS NAZANZENVΣ μονον αγαθον και ωσφαλως παραμειον, h. e. unum illud bonum, quod tuto permanet, i) GREGORIVS THAVMATVRGVΣ μητερα, αρχην, και τελευτην των αρετων, h. e. matrem, principium et finem omnium virtutum, k) et ISIDORVS PELVSIOTA των αγαθων το ακροτατον και των θεων προσταγματων κεφαλαιον, h. e. ſummum bonum, et diuinorum præceptorum caput, l) adpellant. Hæc igitur virtus, quæ hominum animos à corruptelis immunes tuetur, et in obſequium diuini numinis flexos gubernat, cum omni omnino vitæ generi, tum inprimis iuuenili ætati ſatis commendari non poteſt. Quo enim crebriores peccandi illecebræ cereis in vitium ſecti iuuenibus obuerſantur, eo felicius ab iis retrahuntur, ſi, præſentis ubique Numinis cogitatione

e) Zach. Græpii Theologia recens controuerſ p. 139. ſqq.

f) in X. Diſſertationibus

Anti-Whiſtonianis, ſen. 1731.

g) L. I. Ep. XVI. 17.

h) 1. Tim. IV, 8.

i) Orat. X. p. 166.

k) Orat. Panegy. ad Origen. p. 96.

l) L. IV. Ep. 142.

tatione commoti, neque sentiendum, neque dicendum, neque faciendum quicquam iudicant, quo vel offendi diuina bonitas possit, vel ultio prouocari. Haec cum Deo immortalis proximo gradu nos coniungit; haec firmissimum adminiculum rerum bene gerendarum praestat; et haec palmam verae felicitatis porrigit, ex voto consequendam.

Hac mente procul dubio religiosissimi illi parentes, quorum filii aliquamdiu discendi causa nobiscum versati sunt, iis ad fontem sacrum iniriendis talia nomina imponi voluerunt, qualia idonea essent, ad verum diuini Numinis cultum et pietatis non facitatae studium in mentibus eorum excitandum. Vterque enim nominibus, *euangelicis* et religionem spirantibus, et DEVM et CHRISTVM, prae se ferentibus, insignitur, ut ea veluti auspiciata omnia, testatum faciant, DEI timorem initium sapientiae esse, CHRISTI autem dilectionem omnem scientiam, quamuis diffusam, longissime anteire. Neque est dubitandum, quin, haec sententiam animo constanti complectentes, et scopum illum praefixum per omnem vitam adcurate intuentes, exoptatum verae pietatis fructum largissimo cum foenore sint consequuturi. Prius autem, quam eam officinam, in qua ad sapientiae et pietatis studium adducti adhuc fuerunt, relinquunt, stadium academicum ingressuri, publicum suae pietatis specimen edere, et orationibus valedictoriis supremum piorum discipulorum officium praestare, suum duxerunt. Et alter quidem horum fratrum, isque natu maior,

CHRISTIAN GOTTLÖB SCHANZE,

Lommatiensis,

sermone Latinis verbis concepto de *diuersa ratione, homines ad veram religionem aduocandi*, exponet. Alter autem

CHRISTIAN GOTTLIEB SCHANZE,

eiusdem patriae,

oratione itidem Latina *praeicipua illa subsidia quae ad hominis felicitatem Deus comparauit*, persequetur. Votis autem, amicitiae tesseriis, horum abitum suo et commilitonum nomine comitabitur

Beni. Traug. Schmidtus,

Freiberg.

filio Germanico de *praestantia et utilitate amicitiae* praefatus, suamque erga amicos, eodem secum hospicio usos, voluntatem testificatus.

VOS, PATRONI et FAVTORES, qui religionis obseruantiam et pietatis studium omni data occasione declaratis, iuuentutis scholasticae pietatem nouo incitamento inflammabitis, si cras, finitis ante meridiem sacris, ad audiendos nostros pietatis testes atque praecones beneuole accedetis. P. P. *Freiberg.* prid. Cal. Mart.

A. R. S. MDCCLIII.

Yb 627

(1/80)

ULB Halle
002 103 591 3



TAJOL







DE
EVSEBIANIS
PRAEFATVS

ORATIONES
VALEDICTORIAS

CAL. MART.

A. R. S.

MDCCLIIII.

PVBLCHE HABENDAS

INDICIT

M. IO. GOTTL. BIDERMANN

RECT. GYMN. FREIB.

FREIBERGAE,

Litteris MATTHAEANIS.

LVIII.